



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Difficultas III. Danturne in appetitu sensitivo & phantasia habitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

RESPONDETUR. Excessus ille inclinationis, procedens ab habitu, non inclinatur independenter à cognitione, sed nonnisi posita illa, de quo infra.

DIFFICULTAS III.

Daturne in appetitu sensitivo & Phantasia Habitus.

NEGAT Suarez & Ariaga, affirmat recentior Suarez & Fonseca.

DICENDUM est, *Probabilius esse, non dari in istis potentiis, ullos habitus.*

RATIO. quia ex una parte si in iisdem prærequisitis ponantur illæ potentia, eodem modo semper operabuntur. Ergo non est in illis reperire difficultatem, quæ se teneat ex parte potentia, ad quam superandam, dari debent habitus. Ex altera parte, bene id referri potest in species, in remotionem impedimentorum, & cætera similia.

DICES 1. cum recentiore Suarez tam appetitus quàm phantasia, operantur propter rationes motivas prius cognititas.

RESPONDETUR. Ad hoc ut dicatur aliquid esse capax habituum, supponi quidem debet, quòd moveatur rationibus prius cognititis, sed hoc solum non sufficit; est enim necesse videre, an iis prærequisitis posititis, expeditius agere possit: & quidem expeditione non in aliud quam in habitum referibili. Quia autem phantasia & appetitus sensitivus, posititis omnibus prærequisitis, eodem semper modo agunt, fit, ut non indigeant habitu.

DICES 2. cum eodem. Experientia constat plurima animantia, ex frequentatione actuum acquirere facilitatem, in saltando, garrando & cætera similia, quæ omnia referri non possunt, nisi in habitus phantasia.

RESPONDETUR. Possit id referri in semotionem impedimentorum, in compagum, ipso usu, flexurum, & similia. Præcipue in circumstantia specierum acquiratarum.

DICES 3. cum eodem. Licet appetitus sensitivus sit materialis & phantasia non nisi materialiter cognoscat, hoc non tollit, quo minus proponatur aliquid magis vel minus bonum, & quod inde sequitur, stat cum hoc, quòd per illas cognitiones non determinetur appetitus, quantum determinabilis est.

RESPONDETUR. Proponi magis vel minus bonum, tantum arguit facilitatem oriundam ex propositione, consequenter ex speciebus, qualis facilitas concedi illis potest, sed non facilitas ex habitu.

DICES 4. Illæ potentia sunt capaces habitus, quæ nunc perfectos, nunc perfectiores actus, habere possunt; hoc autem competit etiam potentiis sensitivis, imò & vegetativis.

RESPONDETUR. Majorem esse ulterius mo-

dificandam ut dictum supra, illas scilicet potentias esse capaces habituum, quæ nunc perfectos nunc perfectiores actus habere possunt, si perfectio illorum, non in species, non in amotionem impedimentorum, rejici possit, perfectior autem operatio sensitiva, fit, ratione v. g. impedimentorum, quæ sunt ablata &c. vel si impedimentis potentia careat, fieri potest, ut inde oriatur difficultas operandi, eò quòd careat speciebus requisitis iisque bene radicatis, cum cætero qui ipsa potentia, sit determinata, ad eundem modum agendi. De quo innui supra.

DICES 5. Potentia indeterminata ad suos actus, est capax habitus, multæ autem potentia sensitivæ, non sunt determinatæ ad suos actus, qualis est etiam potentia loco motiva, quæ ad hunc vel illum modum, determinari potest à voluntate, despoticè imperante.

RESPONDETUR. Potentias sensitivas esse determinatas ad unum modum agendi, posititis omnibus prærequisitis, quòd autem motiva possit imperare voluntas, nunc hunc, nunc illum motum, non argui indifferentiam potentia motiva ad talem motum posititis omnibus prærequisitis; sed solum esse illam potentiam subditam voluntati, & inter prærequisita agendi, habere, voluntatis imperium.

Inter præcipua argumenta quibus probatur non dari habitus, hoc etiam est, quòd non sit explicabilis modus, quo deberet concurrere habitus. *De quo, fit*

QUÆSTIO II.

De concursu Habituum ad actus.

HABITUS concurrere ad actus, nonnisi tanquam dispositionem, & conditionem quandam, docet Hurtadus, concurrere effectivè docet Suarez. Concurrere nonnisi per modum causæ formalis tanquam probabilius docet Pontius Disp. 65. num. 26. concurrere & formaliter & efficienter Ariaga.

DIFFICULTAS I.

Explicatur quo modo Habitus possit concurrere formaliter ad actus.

EXPLICAT I. Ariaga formalem istum concursum habituum, per inclinationem, ipsam autem inclinationem, per proportionem ad impulsum. Quia sicut impulsus qualitas, est natura sua, manum inclinans v. g. ad motum, & licet actu illa motum non producat, casu v. g. quo resistatur illi impulsui, actu tamen inclinatur, sentimusque illam inclinationem, & illi resistendo laboramus. Ita habitus est impulsus natura sua inclinans v. g. ad producendum amorem, & dum est ille habitus in voluntate, posita, præ-